

Šprincl, Jan

**Ottocari Březina Carmen in orbem a cordibus cantatum, quod in  
Latinum versum et Udalrico Pelikán ad diem anniversarium dedicatum  
est**

*Sborník prací Filozofické fakulty brněnské univerzity. E, Řada  
archeologicko-klasická. 1979, vol. 28, iss. E24, pp. [13]-16*

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/109236>

Access Date: 29. 11. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

**OTTOCARI BŘEZINA**

**CARMEN  
IN ORBEM A CORDIBUS CANTATUM,**

quod ab Ioanne Šprincl in Latinum versum et

**UDALRICO PELIKÁN**

ad diem anniversarium dedicatum est

Semper aequa  
sublatio et lapsio alarum  
in sphaeris superioribus et superioribus  
repetuntur,  
gravitas terrae  
pulchritudine volatus vincitur.

De viis gratiae cantant voces spirituum,  
instar avium suos nidos antiquos circumvolantes,  
in hortis magicis metamorphoseon,  
hortulane mystice!

Auditis strepitum arcanum sanguinis? Fervorem in spica maturescenti  
et inebrianti? Sonum febrilem in obscuritate alveariorum?  
Sonitus dolorosos cordum, quae per saecula instar chordarum tendebantur,  
ut concentus sidereos servare possint?

Lamentationem chordarum nimis contentarum, discissarum?  
Et per omnes cosmos volantem tonum igneum  
seraphicae harmoniae adeptae?

Reminiscentias mysticas complexuum celebrium,  
qui a sescentis milibus dati et accepti sunt prius,  
quam hic cosmos visibilis venustate gravi effloruit  
in infinitatibus?

Reversionis signa, quae ab omnibus creaturis terrae exspectantur  
et quibus fraternitates venatorum congregantur  
in labyrinthis ironicis silvae virginiae somniis plenae?

In paenitentia, quam turbae in campis cruentatis morantes agunt,  
in pallore anxio usurpatorum,  
in victoriis feminae occultis,

sicut flammæ in lychnucho pensili mille bracciorum flagrantes,  
 quotienscumque patefacta est ianua, qua fratres expectati appropinquant,  
 musicae spiritualis vento  
 corda trepidant.

Salvete vos, qui advenientes nobis cari estis!

Vineis nostrarum uvarum plurimum inebrantium  
 vobis via signatur!

Signatur nigris vestigiis carboneis ignium nostrorum,  
 ubi sub lucibus caelestibus scintillantibus sedere solebamus,  
 in silentio noctis de adventu vestro cantantes;  
 signatur signis sacris,  
 quæ populorum ad perniciem destinatorum sermone  
 in saxorum cacuminibus directe deorsum preæruptis exsculpere solebamus,  
 signatur arcibus portarum triumphalium collapsis,  
 sub quibus nostri reges vadebant,  
 signatur templorum obeliscis, qui aggere sæculorum  
 obruti sunt. —

Propter mysterium doloris et mortis et regenerationis  
 dulce est vivere!

Propter præsentiam invisibilem magnorum et sanctorum generis nostri,  
 qui inter nos in hortis luminis vadunt  
 et qui ex longinquitate ævorum omnium ad animas nostras loquuntur  
 gratia pleni,  
 dulce est vivere!

Propter gratiam regiam fratris victi,  
 qui cum fiducia caput suum ponet in pectus,  
 ubi ardor tuus vehementius cantat,  
 propter complexum inimico in fulgore nostræ horæ supremæ datum,  
 dulce est vivere!

Propter odorem supraterræstem florum, qui primum evoluti sunt  
 in ecstasi carminis, in gloria basiorum,  
 dulce est vivere!

Propter fatigationem sublimem architectorum  
 dulce est vivere!

Propter conspectum spiritualem et stellantem,  
 qui tellurem ex omnibus partibus simultanee complectitur:  
 solitudines crystallinas polorum, aetatum priscarum, montium  
 primariorum, legis, numeri;  
 maria placida luminis, quod effluit, maria fortunæ, spicarum, noctium,  
 hortos febriles troporum, sanguinis, hortos sitis somniorumque principalium;  
 gravitatem omnium fructuum, qui solibus visibilibus et invisilibus  
 maturuerunt  
 et qui ventos vocant cupientes, ut decerpantur;

turbinem examinum, quæ in eo sunt, ut avolent; certamina populorum, quæ  
in millenniis geruntur;  
volatum terræ harmonicum, qui in linea pulchra cursus eius fit,  
etiam tunc, cum illa magnopere movetur;  
specula caerulea cælorum, quæ etiam super insulis exsecratis leprosororum  
panduntur;

montes cretaceos, ubi quondam maria tonuerunt  
et ubi olim tonabunt,  
fulgorem insecti in silvis virgineis graminis scintillantem,  
fulgorem mundorum in infinitatibus scintillantem,  
fulgorem sententiæ in vegetationibus spiritualibus rerum non cognitarum  
scintillantem.

Propter risum lenem oculorum, qui hallucinatione Gigantea decepti non sunt,  
dulce est vivere! —

Propter cruorem, qui ex sæculis in sæcula manat ex humeris athleticis,  
quibus levatur gravitas preæditorum, tamquam cardines portarum  
carcerariarum!

Propter causam sublimem gaudii a sescentis milibus fratrum percepti!  
Propter pretium arcanum, in quo est mors fratrum omnium, qui pro nobis  
moriebantur

(et omnes, qui erant, per omnia millennia in tota superficie terræ,  
pro nobis moriebantur).

Propter omnes sementes a sescentis milibus manuum factas et non demessas!  
Propter fulgorem irritantem et pericula omnium marium, quæ nondum  
transnavigata sunt!

Propter unum quemque palmum terræ, qui locis pugnarum et victoriarum  
nostrarum electus est

et qui idcirco floribus et auro occulte signatus est!

Propter omnem pulchritudinem in vultibus non accensam,  
culpam non placatam, lapides in panes non mutatos,  
divitias fratribus non distributas, basia, quæ expectant labia,  
dulce est vivere!

Propter clamorem cordis solitarii,  
cum exsultat in angustiis suis sicut avis errore delata,  
quæ fraternam multitudinem invenit,  
dulce est vivere!

Propter procellas, rerum conversiones, tempestates!  
Paroxysmos amoris et voluntatis!

Bella spirituum!  
Bella, quæ perpetuo ardent et quibus studia sitientia coniunguntur!

Dulce est modo mystico habere societatem laboris  
cum omnibus expugnatoribus,  
qui res gestas sicut greges ovium ad tonsuram signant  
signo inusto destinationis propriæ,  
qui ignem et dolorem sescentorum milium regnant,

qui mortem mittunt in suos agros sicut messorum  
 et in suas latumias sicut lapidas ad aedificandum  
 (tamquam turbam in stupore ad unum locum intuentem  
 relinquunt post semet saecula;  
 et regna tamquam naves, in quas de litore nautae saluerunt  
 et quae usque ad eversionem sub eorum surrectione agitantur).

Firma voluptas est contundi instar undae,  
 motu Oceani fraterni maiestosi afflictum esse  
 saxo terrae sponsae  
 et instar spumae sublime emanare —  
 — sicut frutex floris candidi.

Propter occulta vera harmonica,  
 quae flis omnium rerum involuta sunt  
 (tamquam alae papilionum caeruleorum vespere opalisantium)  
 squamis astrorum scintillata,  
 dulce est vivere!

Propter adventum appropinquantem illius hominis clari, mysteriosi,  
 qui inter sescenta milia fratrum defunctorum et futurorum unicus,  
 victor spatii,  
 a polo ad polum terram secundum tuam voluntatem sanctam commutabit  
 et qui vi sententiae, quae a solibus oboedientibus  
 levitatem, choreas, camenam didicit,  
 in tuo consilio occulto considet  
 — inter principes cosmi —  
 dulce est vivere!